BAPTISMUS IGNIS,

SIVE

DE S. SPIRITUS ADVENTU ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

CLEMENTEM XI.

PONTIFICEM MAXIMUM.

A FRANCISCO PHILIPPO INZAGHI
Seminarii Romani Conviſtore.

20
34-7-B-19
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Romæ, Mdcciv. Excudebat Cajetanus Zenobius, SS Domini Noſtri CLEMENTIS XI. Typographus, & Scalptor.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLEMENTI XI.
PONT. MAX.

FRANCISCUS PHILIPPUS INZAGHI
FELICITATEM.

BAPTISMUM IGNIS *ut Tuo Nomini inſcriberem*, BEATISSIME PATER, *præter alias cauſas adbortatus me eſt Baptiſmus Aquæ, quem tantâ*

Digitized by Google

populi totius celebritate, tam ſpectabili Pietatis Tuæ exemplo propriâ Ipſe manu Judeæ familiæ nuperrimè contuliſti. Enimverò viderat Te Roma confertiſſimo populo Divinas Epulas laborioſiſſimè impertientem; viderat confitentium peccata ſingulari patientiâ ſæpius excipientem; viderat Sinenſem Legatum Pontificiâ conſecratione inaugurantem; viderat ſacro oleo ad ſupremam fortiter ineundam pugnam confoventem ęgrotos; viderat Cœleſtes Fratris Tui Filiæ nuptias cum ſpecioſo præ filiis hominum, nobiliſſimoque omnium ſponſo conciliantem. Jam verò ut nullum ferè ſupereſſet, quod per Te publicè non miniſtraſſes Sacramentum; ipſa etiam Baptiſmi, & Confirmationis Divina miſteria obire religioſiſſimè voluiſti. O' ſpectacula, quæ Urbem Fidei Regiam incredibilem in modum cohoneſtant, & ornant! O' dignas Sacrorum Principe occupationes, qui non modo mente, & imperio, ſed manu etiam, & operâ Religionis commodis, & incrementis totus allaboret! Hæc nimirum una eſt ratio ſanctiſſimarum rerum venerationem, & pretium in mor-

talium

talium animis amplificandi; cum enim tanta ſit illarum præſtantia, ſive ab Auctoris claritudine, ſive ab copiâ utilitatum, ut augeri nullo modo queat: commendari ſolùm nobis magis poſſunt ab miniſtrantium amplitudine, atque dignitate. Quid quod tam multa humanitatis in eandem familiam, munificentiæ, amoris argumenta edidiſti, ut nulla verior unquam, & expreſſior viſa imago ſit aut Paſtoris Euangelici, qui inventam ovem in humeros ſuos imponit, & coactis amicis, & vicinis, congratulamini, ait, mihi, quia inveni ovem, quæ perierat: aut benevolentiſſimi Parentis, qui accurrens cecidit ſuper collum ad ſaniora conſilia redeuntis Adoleſcentis, & oſculatus eum, adducite, inquit, vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur. Perge, Beatissime Pater, tam prolixæ voluntatis ſignificationibus errantes oves ad Chriſti paſcua pellicere: perge ſaluberrimis edictis planiorem humanæ imbecillitati ad veram amplexandam fidem viam ſternere: ego enim ex tam incenſo alienæ ſalutis ſtudio, & effuſiſſimâ, quâ populos omnes com-

Digitized by Google

plecteris, charitate, futurum facilè conjicio, ut, Te potiſſimum imperante, Divinum illud impleatur Oraculum, Fiet unum Ovile, & unus Paſtor.

Digitized by Google

ORATIO.

Baptiſmum Ignis, quem Joannes illis olim verbis præcinuerat, *Ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto, & Igni*, hodierna tandem die Diſcipulis ſuis impertitum à Chriſto videmus, Beatissime Pater. Et ſanè comparatum ſapienter fuit, ut ſicut imperfectior Joannis in Aquâ Baptiſmus via quædam fuerat, & præparatio ad Baptiſmum in Aquâ, & Spiritu; ità Ignis Baptiſmum uterque illorum præverteret. Etenim per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè Deus per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, quaſi modo geniti infantes ſolùm

ini-

initiamur Deo, & ad Chriſtianam militiam tamquam Tirones primùm omnes adſcribimur. Per Baptiſmum verò Ignis adulti, & jam Veterani, iique potiſſimùm, qui aliorum inſtituti Imperatores ſunt, ac Duces, induuntur virtute ex alto, ut portent nomen Domini coram Gentibus, & Regibus. Per illud veterum culparum maculis elutis, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo; per hunc jam amici, omni humanarum cupiditatum, & lutearum affectionum abſtersâ rubigine, tamquam aurum probamur in fornace, ut ſimiles fiamus Cœleſtis illius Hieruſalem, de qua ſcriptum eſt, Ipſa verò Civitas aurum mundum. Tranſeundum nimirùm nobis eſt per Ignem, & Aquam, ut ſic educamur in refrigerium. Proinde ſi beatiſſimo hoc Igne non expiamur, dum vivimus; poſt mortem purgatricibus erimus flaminis, ut ſic dixerim, baptizandi. Si enim non intrabit in eam aliquod coinquinatum, exuendæ certè nobis antea ſunt ſordes illæ, quas terrena contagio perpetuo nobis aſpergit. Nihil verò ad labes expurgandas præſentius inveniatur, quàm ignis, qui non extimam modo rerum faciem

ab-

Digitized by Google

abluit, ſed penitiſſimos etiam ſinus vi ſua pervadens, omne quantumvis altiſſimè inſidens vitium excoquit, conficit, conſumit. Sit igitur Baptiſmus Aquæ via nobis, & janua ad militantem in terris Eccleſiam Dei: Baptiſmus certè Ignis janua ad triumphantem in Cœlo non immeritò videatur: alter incipientium, eorum ſcilicet, qui Chriſtianæ vitæ adhuc ponunt rudimenta: perfectorum alter, eorum nempè, qui prœmia jam expectant, ac triumphos.

Hoc præterea inter Aquæ Baptiſmum, & Ignis intereſſe diſcriminis dixerim, quod ille plus ad veteres abolendas maculas proficiat, quam ad prohibendas novas: Hic ipſas etiam nequiorum cupiditatum radices, ac fibras perſequens, & elidens (Deus enim noſter ignis conſumens eſt) futuræ deinceps innocentiæ cum primis proſpiciat. Ad hæc accipientes armaturam Dei, & induti loricam Juſtitiæ, in hujus Ignis fornace temperatas, atque excoctas, non adversùs modò carnem, & ſanguinem, ſed adversùs Principes, & Poteſtates, tam alacres pugnamus, & intrepidi, ut provocare etiam, & laceſſere ad certamen

cum

Digitized by Google

cum Apoſtolo minimè vereamur. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque Creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. O admirabilem igitur Baptiſmatis hujus præſtantiam, & efficacitatem, quod & veteres maculas expiat, & repellit novas.

Quidni igitur etiam nos feliciſſima hæc incendia lacrimis, precibus, ſuſpiriis evocantes è Cœlo exclamemus, Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſquedum perficiatur? Appoſuit verè Deus nobis Ignem, & Aquam: ad utrumque porrigamus manus noſtras; quando altiſſimo conſilio factum eſt, ut quæ fuerant atrociſſima olim Divinæ ultionis arma, potiſſima jam ſint noſtræ pacificationis inſtrumenta. Et quoniam luſtralibus jam Aquis Divino omnes beneficio ſumus abluti, illo etiam baptizari Igne naviter ſtudeamus, de quo dici certè poteſt, Salvus erit ſic quaſi per Ignem.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Goog